

DE
DIAGNOSI
FEBRIVM IN PRIMO STADIO

1784, 32
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
D. IOH. FR. GOTTL. GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE
NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
FACVLTAT. MED. ET PHILOSOPHICAE
H. T. DECANO
CIRCVLI SALICI, COMITATVS MANSFELDENSI

E T
CIVITATIS HALLENSIS PHYSICO
PRO
OBTINENDO GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. JANVAR. MDCCCLXXXIV
H. L. Q. S.
PVCLICE DISPUTABIT
DANIEL FRIDERICVS HERING
STOLPA - POMERANVS.

HALAE,
LITTERIS JOH. CHRIST. HENDELIANIS.



OM

W. Mauer
wiedergibt es
der Stadt
zum ersten
mal 1525.
Von d. 15.
Jahrhunderts
mit dem
Buchdruck
auf der
Stadtmauer
in Wittenberg.

W. Mauer
wiedergibt es

der Stadt
zum ersten

C

D

F R A T R I O P T I M O

C H R I S T I A N . B E N I A M I N .

H E R I N G

D . D . D .

A V C T O R

D A N I E L F R I D E R I C V S H E R I N G .



Q.M.



DE
DIAGNOSI
FEBRIVM IN PRIMO STADIO.

§. I.

Cognitio symptomatum essentialium quo-
rum concursu cognoscuntur & distinguuntur
inter se morbi, diagnosis dicitur. Quae cum
certissime ad indicationes nos ducat, merito a
Bagliuio prima curandorum morborum basis
nominatur. Praeprimis vero sub principio
morbi vera eius diagnōsis saepius nos edocet,
morbi incrementum impedire, qui si ad vigo-
rem peruenisset, omnia artis conamina elusif-
fer. Maximi igitur haec morbi in primo stadio
diagnosis est momenti! Quae vero proh dolor!
saepissime maximis premitur difficultibus, &
ex vnanimi Bagliuii, Stollii omniumque magni
nominis virorum consensu, ad desiderata adhuc

per

pertinet medica. Liceat igitur mihi, quae ad hanc diagnosin in primo stadio pertinent, colligere atque perlustrare, quantum virium temporisque limites permittant.

§. 2.

Causae difficultatis.

1. Difficultates in diagnosi morbi nascentis exinde praecipue oriuntur, quod, symptoma ta morbo propria sub initio saepius lateant, & non raro benignitatem infidiose simulentur. Sunt enim tam ambigua atque occulta ait Thie ry (Erfahrungsge in der Arzneiwissenschaft.) vt quotidie peritissimi etiam medici practici seducantur & omnem licet adhibeant diligen tiam, nihilominus errant. Leuissima aliquando symptomata, vt coryza, dolores vagi, vertigo procluitas in somnum perniciosissimos saepem morbos vel praesentes laruant vel futuros prae sagiunt. Non mirum igitur, Medicos in diagnos multorum acutorum morborum lentis tantum modo passibus hucusque progressos fuisse. Pessimum vero morbi periculosisissimi latentis signum, vti obseruationes docent, est lene istud delirium passiuū; in pulsu & urina nil praeter naturale obseruatur lingua humida est, aeger nil nisi languorem virium sentiens, lenitatem

morbis

quae ad
nt, col-
m tem-

nis ex-
ptoma
eant, &
lentur.
it Thie-
schaft.)
practic
diligen-
quando
vertigo
s saepe
os prae-
iagnos-
antum
s fuisse
latentis
ne istud
raeter
, aeger
nitatem
morb

morbi persuadere cupit medico, idque eo ma-
iori fiducia, quo magis morbo incremente
morti se appropinquat, non multo vero post
scena mutata aeger rebus humanis valedicit.

2. Quod in principio morbi symptomata nimis
vniuersalia appareant quae multis saepe sibi
contrariis morbis sunt communia.
3. Quod omnis morbus pro epidemias, cor-
poris constitutionis, temperamenti & aeris
varietate differat.
4. Quod magna sit morborum series, similitu-
do complicatio & modificatio.
5. Quod quamplurimi morbi nullis prodromis
praegressis incipiunt.

§. 3.

Quae diagnosin adiuuant.

Attamen vero sunt signa etiam atque admi-
nicula quae diagnosin in initio faciendam facilis-
tant; nota quae mihi sunt paucis annotabo.

Huc faciunt:

1. Cognitio constitutionis corporis viriumque
naturae; an debilitas an robur an d sppositio-
quaedam praeternaturalis haereditaria, con-
geni-

genita, acquisita adsit; quibusnam morbis
antea iam laborauerit, quaquel methodo resti-
tutus fuerit aeger, inquirendum est. Nec
non aetas, temperamentum, idiosyncrasia,
consuetudo & vitae genus in censem ve-
niunt. Ex his enim prima morborum stam-
ina progerminant: si differentiam inter prae-
teritorum saeculorum & praesentis aei inter-
divitum pauperumque ac multorum artifi-
cum morbos species, nonne omnem fere
hanc differentiam in varia vitae ac diaetae
ratione fundatam reperies? vnde etiam mai-
us patrum nostrorum robur mitiorque mor-
borum tunc temporis solitorum indoles dedu-
cenda videtur.

2. Phaenomena C. H. quae a virium vitalium
actione dependent. Insignius enim harum
decrementum, sub initio morbi insidiosi, gra-
uius periculum nobis prodit. Iudicantur
vero vires vitales ex pulsu ex respiratione, ex
oculis ex mentis corporisque actionibus vo-
luntariis, ex situ &c. vt in febribus putridis
& neruosis hoc obseruare licet. Quo maior
haec virium prostratio sub initio statim obser-
uatur, quo profundius causa eius latet eo ma-
lignioris naturae erit morbus; nisi virium vi-
talium

talium suppressio dependeat ab obstaculo facile remouendo, ut plethora vel atra bile circa praecordia stagnante.

3. Causae praecedentes, & occasioales; sic morbi veneris saepius occulti ex causa prae- gressa, coitu impuro, cognosci possunt.
4. Epidemiae indoles probe cognita, quae nos edocet, morbum nascentem ex ambiguis maximeque dubiis symptomatibus cognoscere, modificationes atque complicationes prae- uidere, aptaque medendi methodo periculum imminens praecauere. Quot quantisque vero impedimentis a cognitione epidemiae detine- mur, Ill. Sydenhamum testem locupletissi- mum habeo. Sunt morbi, inquit, qui licet epidemicorum nomine insigniantur, enor- mes tamen sunt & perquam anomali vrpote qui nulli typo patiuntur adstringi &c. quan- doque idem morbus in ipsissima anni consti- tutione varius saepe & dissimilis obseruatur. Si epidemia incognita erat, pergit Sydenha- mus, primi aegri in multo maiori periculo versabantur, quam qui paulo tardius aegro- tabant.
5. Iuuantia & nocentia, quae vero methodus morbi naturam inquirendi, caute cogitate-

que

OM

que a medico instituenda est. Saepius enim fer-
fit, vt medicamentum in initio salutares ef-
fectus producere videatur, non multo vero
post omnia inopinato in peius ruant. Hoc
saepius experti sunt medici in venae sectione,
in affectionibus pectoris & in initio febrium
putridarum.

6. Comparatio cum aliis cognitis morbis
v. Zimmermann von der Erfahrung.

Quo plura horum adminiculorum conue-
niunt eo perfectior euadit diagnosis & vice
versa.

In hac probabilitate bene ac cito ponde-
randa omne fere officium medici positum est.

§. 4.

S i g n a D i a g n o s e o s.

Signa quibus status praesens vel futurus
morbi cognosci potest, vel diagnostica vel pro-
gnostica audiunt, sine quibus nullam esse posse
diagnosin & methodicam curationem iam ex
notione patet. Haec autem signa quandoque
valde latent, obscura dubiosa incertaque sunt,
& in nullius fere partis magis, quam in pulmo-
num morbis: tubercula cruda tam occulta
saepe sunt, vt inter initia vix nulla sui profe-
rant

us enim ferant indicia, sed coniectura tantummodo haec
ares es vel illa assequimur. Vtinam singuli morbi
to vero duo vel tria haberent signa essentialia, multo
Hoc certe feliores in iis curandis essemus.

§. 5.

*Differenzia Signorum diagnosticorum secundam varia
morbis tempora.*

Eodem modo ac stadia morbi inter se differunt, signa diagnostica etiam varia sunt, cum morbo incipiente inchoant, per omnia eius tempora & augmentur & decrescent cum aug-
mento & decrefcentia morbi. Ut in primo sta-
dio morbus mitior leniorve est, sic etiam signa
plerumque dubiosa incertaque (§. 4.) praepri-
mis etiam in febribus. Cum igitur signa primi
stadii pauca sint, quibus consili hostem aggredimur illud praeceptum Hippocratis & quod summi artis nostrae viri suaserunt, in hoc sta-
dio ob incertitudinem diagnoseos nihil facere,
nullum propinare medicamentum vel genera-
lem modo instituere medendi methodum, non
negligendum esse puto. Quo pauciora vero
haec signa sunt eo maior diligentia necessaria est
in illis indagandis.

§. 6.

§. 6.
De Signis in primo stadio febrium.

Primum vero rite desinendum est tempus illud quod primum stadium in febris dicitur, ne, quod saepe accidere solet, confundatur cum stadio prodromorum. Haec duo stadia praecipue differunt in eo, quod prodromi, in nullo morbo essentiales, saepius desint, stadium primum vero in omnibus adefse debeat. Hoc morbum incipientem indicat, stadium vero prodromorum imminentem morbum praefagit. Prodromi vero pluribns morbis communes sunt e. g. appetitus imminutus morositas, proclivitas ad iracundiam, somnus perturbatus (coma vigil vel somnolentum) sudor naturalis supprellus, & vlcus, si aeger habeat, exsiccatum, excretiones a natura sueta deceudentes, corporis lassitudo *) grauitas, oculorum coruscatio, anxietas sensus, oscitatio & pandicalutio. Ut ipsa autem febris in coquenda morbi materie naturae effectus esse videtur, sic hi prodromi optimae huius medicatricis primos quasi conatus sistunt, quibus ad suum negotium sese parat, sensimque noxias mat-

ries

*) Hipp. ait: lassitudines sponte natae morbos prænuntiant.

ries, ad excitandam febrem efficaciores redundunt. Prodromos primum stadium excipit; Morbi initium, inquit Galenus, tempus illud putandum est, cum manifesto febricitare incipientes, decubuerint. Et Hippocrates morbi initium constituit, non ubi primum capite doluit sed cum primum febricitauit: van Swieten initium febris adesse dicit, si actiones laesae apparent. Attamen sunt, qui ab initio prodromorum initium morbi adesse putant, quod vero facile eo refutari potest, quod acutissimos saepe morbos diutissime symptomata praenuncia pcedant, si haec ad morbum pertinarent, morbum acutum efficerent chronicum. Inchoantis igitur morbi notitia habetur, quando symptomata morbo propria obseruantur. Haec sunt in febribus intermittentibus regularibus, horripilatio, frigus, aestus, sudor, vrina, lateritia, pulsus febrilis &c. his continentur simul illa symptomata, quae etiam prodromi sunt, In febribus continuis iam magis abscondita sunt; desunt vero in illis magnum frigus & vrina lateritia, his tamen ne nimium confidas signis, eadem enim in febribus intermittentibus etiam, haud raro absunt. Febres larvatae singulae, quaeris sua habent propria, quae omnia rencensitu quidem impossibilia, ta-

men

men quantum fieri potest, posthaec annota-
bimus.

Finem huius stadii adesse dicimus, si Sym-
ptomata augeantur & signa coctionis appareant.
Haec est sententia Galeni, qui proprium cui-
cunque morbo initium coctionis signis deter-
minari, ait, vt tunc primum finiatur, quando
coctionis signa apparuerunt, ab Hippocrate
non dissentientis qui in principio morbi omnia
cruda esse docuit.

§. 7.

De usu horum signorum ad praxin.

Maximi momenti res est cognitio horum
prodromorum atque symptomatum, quae mor-
bum in primo stadio produnt. Quamuis enim,
vti vulgo recte putatur quandoque viribus
naturae solum & sine vila medela morbus sol-
uatur, ac aegti pristinam sanitatem recuperent
fola benignae naturae efficacia, tamen contra-
rium proh dolor! saepe evenit. Experientia
docet, optimam etiam diaetam non omnem
morbum profigare posse, si vires vitales cau-
sae morbi subigendae non sufficient, & gra-
uissimum morbum subsequi, nisi subita medela
adhibeatur, in quibus casibus apta medendi

metho-

methodo, vires naturae vel excidandae vel refrenandae vel dirigendae, omnesque causae cognitae, quantum fieri potest, remouendae sunt. Quo citius vero morbus cognoscitur, eo facilius eradicari, periculumque eius anteverti potest. Quomodo vero e. g. febrem apoplectiam curabis, si insidiosam eius indolem, ex signis in primo stadio maxime obscuris, non cognoveris?

§. 8.

De febribus in genere quorum diagnosis difficultis est.

Ex praecedentibus iamiam liquet eos morbos difficultati in diagnosi subiectos esse, quorum caussae & proegumenae & procatareticas latent ac sensibus nostris se subducunt, quorum signa dubiosa imo fallacia sunt, ita ut morbi laruentur aliaque facie se ostendant ac re vera sunt. Huc referuntur morbi acuti, complicati varie modificati atque ii qui nullis prodromis comitantur, maligni, qui a specifica causa vel a miasmate oriuntur & insolitis symptomatibus stipantur, vel nulla epidemia grassante, vel illa tantummodo incipiente (Sydenham l. c.) mortales cruciant; febres larvatae, lentae, hecticae &c. quae a sexcentis causis innotis originem ducere queunt. In magnis hic dubiis versa-

mur

annota-
i Sym-
areant.
m cui-
deter-
quando
ocrate
omnia

norum
e mor-
enim,
iribus
ns sol-
perent
ontra-
rientia
nnem
s cau-
gra-
edela
dendi
etho-

mur, ob summam causarum varietatem, quorum effectus tamen simillimi apparent, & ob causarum similitudinem, effectuum vero varietatem. Pro varia constitutione corporis, sexus, epidemiae, aeris, vitae generis, causa diversa esse debet, si pluribus corporibus, similis morbus nascatur (§. 2.).

§. 9.

De causis febrium.

Causae febrium remotae multae ac innumerabiles sunt, omnes vero per nervorum irritationem agunt. Terrore & quocunque inexplicato obiecto sistema nervosum irritante non raro febris producitur; ab affectibus animi, amoris, irae &c. homines febricitantes fiunt; his animi pathematis producuntur in corpore mutationes, quae eo diutius durant & pertinaciores sunt, quo maiori irritabilitate & sensibilitate gaudet corpus. Porro exhalationes putridae, aer humidus, omnesque causae, quae solidata laxiora reddunt, & aequilibrium inter haec & fluida tollunt, febres excitare valent. Proxima autem in nervis irritatis later causa, (v. Swieten T. II. §. 755. Tralles de vnu opii Sect II. p. 70. Thaer Diss. de actione systematis nervosi in febribus. Goett.) unde simul patet, qui fiat,

VI

ut febri vis insit, cum in producendis, tum in tollendis neruorum affectibus.

§. 10.

I dem porro.

Restant vero quatuor praecipuae causae, quarum una vel altera, in quoconque morbo plerumque adest, notabilem in curatione distinctionem efficientes, ita ut prima medici quaestio esse debeat, quae nam ex his aut sola aut prae reliquis presto sit. Sunt vero hae

1. Causa inflammatoria,
2. Causa gastrica,
3. Causa putrida,
4. Causa neruosa.

Harum praesentia a constitutione corporis & epidemiae maxime dependet. quaevis autem causa propriam febrem producit.

Haec vitia humorum, quae vti diximus febrium causae sunt, e contrario etiam illarum effectus esse queant. Si Febris per quoddam tempus in corpus agat, eius humores quadruplici modo affici possunt, ita ut vel diathesin inflammatoriam adsciscant vel putredinem, vel hu-

B.

mores

mores ad digestionem destinati in naturali sua mixtione turbantur, vel subtiliora fluida, quibus in sistema nervosum praeprimis imperium est, corrumpuntur. Pro corporis constitutione humores hoc vel illo vitio inquinantur, fortis ac robustus homo inflammatione, debilis e contra & exsanguis impuritatibus primarum viarum vel nervosis affectibus laborat. (S C H R Ö D E R).

§. II.

De Signis harum febrium.

Nunc signa cuique causae propria seorsim annotabo, quae utrū cognita facilia videntur, interdum tamen difficillime inter se distinguuntur.

I. Febris inflammatoria, pura, omnium, quae a caussis internis ortum ducunt, rarissima, in debilioribus non obuenit, periculo non tanto stipatur, ac curatu facilissima est. Eius vero praesentia cognoscitur ex pulsu febrili, celeri, duro vel forti ac gradui aetius respondentia, ex colore & calore corporis non in grato & tactui euangelente, ex functionibus corporis vehementibus, robore & intensiore virium praeprimis vitalium actione, oculo- cardia-

rum

rali sua
a, qui
perium
constitu-
natur,
debilis
narum
C H R Ö
rum splendore, faciei rubore, lingua alba &
torrida cum siti, vrina rubra, saturata. For-
tes, rustici, operarii, qui vitam exercita-
tam degunt, paeprimis ab hoc febrium ge-
nere afficiuntur; secundo & illi, quibus vita
laura & exercitata est, qua sanguinis copia
abundat & ad morbos plethoricos disponit.
Tempore vernali magis grassantur, quam in
alio anni tempore, rarissime vero epidemice
paeprimis in eiusmodi regionibus, quae aliis
morbis, vti gastricis fauent.

2. Febris gastrica frequentissima, in quibusdam
regionibus endemica, a medico in com-
plicationibus paecipue attendenda, quum re-
soluentibus, purgantibns & emeticis per-
multi morbi, quorum natura saepius
omnia euacuantia vitare videtur, curantur.
Semper fere impuritates primarum viarum
suspiciari queunt, & primum sit indicans, nisi
certissima adsint signa causae neruofae.

Hae impuritates vero diuersae esse possunt
naturae. *Biliofae* virium notabilem produ-
ctum in cunct prostrationem, dolores dorsi, lumborum
& capitidis vehementissimos, turgori bilis respon-
siones, anxietatem & ardorem praecordiorum,
oculo-cardialgiam ad hypochondria paecipue dextrum
rum

saepius extensam, linguam aridam, fissam, flauam, aut nigram, saporem amarum, nauseam, vomititionem, vomitus, & deiectiones biliosas, causticas, torminosas, tenesmoideas, vri-
nam croceam, biliosam; febrem acutam con-
tinuam, cum intenso horrore, aestu, ac siti
inextinguibili, delirio singultu &c. quae omnia
symptomata vomitu & deiectionibus tolluntur,
vel leuantur.

Pituitosae & verminosae, quarum symptomata fere eadem sunt, efficiunt appetitus viriumque languorem, sensum ponderis in artibus, dolores capitis, tussiculam sicciam, post pa-
stum excitatam inflammationem abdominis, flatulescentiam, dysforexiā vel picam, somnum turbulentum, vertiginem, susurrum & tinnitus aurium, difficultatem auditus, pruritum in naribus, salivae confluxum, linguam albam, pupillam dilatatam, oculos concavos, pallorem faciei vel colorem variabilem; pulsus intermittens, palpi-
tationes cordis, spasmi peripherici, motus febrilis & febris exquisita. Si pituita in sanguinem redundant, & solida simul relaxata, genus neruosum debilitatum est, oritur exinde saepius febris pituitosa Sellii, quam Sarcone primus di-
ligentius determinauit, sanguis e vena missus reso-

n, fl
useam,
s bilio
s, vri
n con
ac siri
omnia
untur,

resolutus, & chorio pituitoso obductus est: febris parva & pulsus debilis & intermittens observatur.

Virium vitalium inertia hanc febrem periculissimam creat; saepe in febrem neruosam abit, quacum vero perperam a nonnullis confunditur.

Quamvis plerumque haec febris ex redundantia pituitae e primis viis in sanguinem oritur, potest tamen etiam haec pituita in sanguine primario a refrigerio aliquaque caussis generari; quae si per motus naturae ad locum quendam respirationi inservientem ducitur, vel ibi stagnans, irritans inflammationem producet serosam, febris inde erta dicitur catharrhalis.

Subiecta debilia, quae in aere frigidiusculo humido cibis crudioribus vescuntur, huic morbo paeprimis exposita sunt. Biliosis vero crudiribus fauent temperamentum biliosum, fervor solis, diaeta calida, iracundia, epidemica aëris constitutio &c. Quae tamen signa antea dicta, turgescentiam cruditatum praecipue continentur, in initio vero saepe desunt vel profundius latent. Certissime nos ducunt descripta in diuidualis aegri constitutio epidemia & endemia.

3. Feb.

3. Febris putrida; periculosisimum hoc genus febrium est, cuius modo tempestiu diagnosis vitam aegri seruare potest. Lente & occulte incipit, nullis prodromis proditur, & repente vita aegri in summo periculo versatur. Summa attentio requiritur, ut omnia, quae modo possibilia sunt, bene obseruemus.

Dispositio quaedam corporis debilitata, lassitudo & quietis amor, motus praeter consuetudinem fatigans, debilitas in omnibus functionibus, oculi concavi, stillae quaedam sanguinis e naribus, sanguis resolutus, pulsus mollis, debilis, frequens, aestus pungens, diathesis scorbutica, sudor male olens, excretiones colliquatiuae & anima foetida praecipua signa sunt.

Inuadit aestatis tempore in aere calido humido subiecta laxiora debilitata; quae humoribus acribus dissolutis scatent.

Notae, quae febris genium praesagiant:
 1. vitae genus, 2. character epidemicus, 3. tremor totius corporis, qui ut PRINGLE air, nunquam fecellit. 4. Febris, quae tam leuis videtur, attamen vires aegri mirifice prosternit.

4. Feb-

genus
a dia-
nte &
odit, ur,
o ver-
omnia,
emus.

ilitata,
r con-
nibus
medam
pul-
s, dia-
excre-
cipua

calido
e hu-

iunt:
. tre-
nun-
etur,

Feb-

4. Febris neruosa (febris putrida lymphatica) quae est status summae debilitatis, lente & paulatim inuadit, ab Anglis *the little feuer* nominatur; nomine febris lentae neruosae etiam venit; summa debilitas, nec cruditatibus primarum viarum nec putridae sanguinis resolutioni nec orgasmō sanguinis respondens, omniumque symptomatum diffensus. Febres lymphaticae, ait BAGLIVIUS, sunt perniciosissimae, in his saepe vrina bona, boni sunt pulsus, sed pessima lingua, pessimus mesenterii status, ob nimiam ibidem putrem congestam materiem, aegri bene sibi valere videntur (Symptoma maxime horrendum) Lib.I. de febr. malignis. Possunt igitur quidem caussae antea dictae huic complicatae esse, sed neque ad essentiam eius pertinent, neque earum remotio hanc febrem sanat vel leuat, saepe exacerbat. Omnium saepissime haec febris larvas induit, ita ut rarissime eadem facie appareat; plurima signa diaagnostica ex constitutione aegri petimus. Aegri minus minusque valent, cibos fastidiunt vel male concoquunt & animo marcent, antequam febris palam inuadat; ex maxima autem parte homines leni vagoque horrore, incerto lenique tactui calore, sensui aegri ve-

ro saepe intolerabili, sub initio corripium alia
tur; accedit simul lassitudo, torpor, oscita- flama
tio &c. Matutino tempore praecipue aeger mate- In ha
debilis est, horripilationem sentit, mox se quitur aestus, genae rubrae & pallidae alter da e
nant, roburantia volatilia siue analeptica vi indic
res illico extollunt, caput obnubilatum, o febri
siccum, lingua arida & tamen nulla sitis; ma plica
ne nauoseofus est & dolores punctorios in pe conf
ctore sentit, aestate peius te habet ac hyeme diae
Pulsus equidem frequens est & debilis & in drati
ordinatus, saepius etiam non multum a natu
rali recedens; multi sudores morbum non le drati
uantes, indies vero malum crescit, piget se tabu
mouere & ad somnum proclivius est, cum sed
augmento morbi crescunt symptomata, eo debi
rumque numerus augetur; hanc febrem opti
me scripserunt GLASS de febribus, HVX
HAM, PRINGLE aliique plures.

§. 12.

De varia mixtione harum febrium

Quaevis harum febrium raro simplex mera
vel gastrica, vel inflammatoria, vel putrida, ve
neruosa obuenit, sed saepius cum aliis mixta
reperitur. Haec mixtio multiplici modo fieri
potest, ita ut nulla sit earum febrium, quae can
alia

cripium alia quadam specie coniuncta esse nequeat; in-
oscita flammatoria cum putrida, gastrica cum inflam-
matoria, putrida cum neruosa, & vice versa.
In hoc praecipua curationis difficultas quaeren-
da est, ut indicatio saepe quamplurimis contra-
dictantibus signis impediatur, & medicus de
febris natura dubitet. Haec varia febrium com-
plicatio dependet 1 ab epidemia, 2 a corporis
constitutione, 3 a virtute in curatione vel in
diaeta commisso.

Si epidemia gastrica gravatur, fortes, qua-
drati & sanguinolenti homines non facile aegro-
tabunt, victi vero non mera gastrica febre
sed etiam flammatoria verosimile laborabunt,
debiliora corpora forte simul putrida im-
mo neruosa febre. Complicatio pro varia
constitutione corporis diversa est; sedulo au-
tem eo medicus speget, quae complicatio reli-
quarum praedominio potitur caeteris in eius
quasi ditionem redactis & parcus id temporis
saequentibus. Interdum duae adsunt indicatio-
nes, quae sibi plane contrariae esse videntur,
e. g. si febri putridae inflammatio topyca acce-
dat, haec inflammatio vero spuria est, a putri-
do irritamento effecta, quare etiam antiphlo-
gistica non requiruntur, sed ablato putrido
irrita-

irritamento per methodum antisepticam, in bim
flammatio sua sponte euanescet. Attamen HVX vero
HAMVS anginam obseruauit gangraenosam, vbi qui a
natura inflammatoria ita praeuolebat, ut sola sequitur
methodus antiphlogistica sufficeret.

Secundo vero haec complicatio ex vitio vel sectio
in curatione vel in diaeta commisso producitur, remedia decisiua iusto citius propinata genium
morbi facile commutare posunt saepius in
aegrotantis periculum. Improuida venaese-
tione in febri gastrica, mutatur illa non raro in
putridam, quod vitium facile committi potest,
cum febris gastrica saepe cum inflammatoria
coniuncta obueniat, & diaeta nimis calidiori
& omissis purgationibus primarum viarum sa-
pe morbi gastrici non putridi in putridos ab-
eunt & exanthematicos. Ex his vero coniucci
potest, vtramque complicationem non simul in-
cipere, sed semper vnam earum esse vel acce-
soriari vel symptomaticam quae citius tardiusue
sequitur.

Bene igitur est, epidemiam & corporis
constitutionem noscere, aequa illa medicamen-
ta aut alimenta, quae aeger antea sumvit. Ulti-
mum adhuc remedium ad cognoscendum mor-
bum

, in-bum, ex nocentibus & iuantibus cautissime
HVX vero institutis repetendum est, effectus enim
vbi qui a medicamento in incertitudine adhibito
et solas equitur, quamvis in primo intuitu salutaris vi-
deatur, inopinato summum periculum adfert,
de quo plura exempla (in pleuritide a venae-
lio vel sectione) exstant, cum aegri se melius habe-
citur, postridie vero omnia in peius mutaban-
tium.

§. 13.

Febres intermittenties.

Hae febres eae sunt, quae ad certum tem-
pus insurgunt atque decrescent, statim scilicet
horis & diebus praemissō frigore incadescunt
& deinde remittunt, donec ad veram apyrexiam
deueniunt. Haec est descriptio Ill. SENAC. Quo
ad typum & periodos, quas feruant, a medicis
in quotidianas, tertianas & quartanas, porro in
quintanas, sextanas &c. dividuntur, quarum
vero periodus obscura incertaque est & a pluri-
mis practicorum hae febres in dubium vocan-
tur. Quae autem praeprimis intermittentium
nomine insigniri debent, sunt tertianae & quar-
tanae. De cauſa huius intermissionis hucusque
medici disputant (vid. TORTI Therapeutice
specialis). Id tamen obſeruatione confirmatum
vide.

videtur, febres eo maiorem habere ad intermissionem proclivitatem, quo magis causa in primis viis later, si autem causa in systemate va-

forum haereat, febres etiam continuae sunt.

Quaevis aetas huic febrium generi subiecta est: illis praeterea constitutionibus maxime hominis febrium comperit, quae systemate nervoso nimis sensibili praeditae sunt. Paroxysmus enim ab irritamento nervis admoto prae-

primis oriri videtur, ideo etiam remota quamvis causa materiali tamen febris remaner, ex impressione quadam in nervis relista nobis inexplicabili.

Hae febres maxime grassantur in locis humidioribus atque putridis, & ex solo exhalantibus corpusculis oriuntur.

Hucusque observationes nondum eo veterunt, vt iam in primis diebus febres intermittentes recte inter se distingui possint, quare uno ore omnes affirmant, eo tempore morbi naturam inconstarem esse, neque ad typum & periodos sese adstringi pati. Huius rei exemplum dat SYDENHAMVS de morbis epidemiacis cap. II. praematurae intermittentes autumnales, ait, non statim genuinum typum induunt

sed

sed continuas febres imitantur. Quam magni
autem momenti res est, omnia symptomata
colligere, quibus hae febres distinguuntur,
omnes ii intelligunt, qui pericula cum unaqua-
que earum coniuncta earumque differentem
curationem noscunt. Quotidiana enim & quar-
tana tertianam periculo superant; quotidiana
facile in continuam lentamque & RIVERII te-
stimonio in cachexiam, hydrope & lethargum
abit; quartana vero chronicam pessimamque
labem visceribus inferre soler; tertiana longe
benignior est.

Signa igitur diagnostica harum febrium
haec sunt: Si praegressi fuerint prodromi paulo
ante enumerati & signa frigoris sequantur, ex
maiori vel minori frigoris gradu genius fe-
brium iam praeuideri potest. SENAC ait: cum
in febribus continua frigus nusquam tam ac-
riter aut tam diu vrgere soleat, statui in vni-
uersum potest, eas, quae summo cum rigore
incipiunt, ex earum esse numero, quae certos
alternosque habent circuitus. Quotidiane frig-
us leuius est ac in omnibus aliis intermitte-
tibus, paroxysmus vero eo longior est, qua-
re etiam magni viri e. g. SENAC quotidiana
non ex intermittentium numero esse affir-

mant.

C M

mant. Aestus est lenis, pulsus valde inordi-
natus, debilis ac paruuſ, ſitis minus vrget, vri-
tum-
na non adeo flammnea eft, fudor parcus, ma-
mo fe-
gna ad ſomnum procliuitas, animi deliquium di-
ventris dolor cum ſapore amaro & deiectioni curati-
bus & vomitu raro caeterumque obuenit; paſaria
roxysmus autem tempore matutino incipit rales,
Terrianae frigus breuius quidem eft, sed veheſperiti-
mentius tamen, cum ſenu puncitorio inuadit gente
Quartanae frigus omnium pertinaciflimum eft, ſioner
& ſequentibus paroxysmis increſcit, aestus mi-
tiator ac in tertiana, ſed ariditate ſua moleſtus ſper-
& cum frigoris quodam ſenu in oſſibus, fudor
parcior vel nullus eft, pulsus rarus, inaequalis,
paruuſ, durus.

In quotidiana vires naturae vehementer,
in quartana tarde, in terriana ſufficienter ple-
rumque agunt. Praecipue vero indoles ha-
rum febrium attendenda eft, an bilioſae, an
bilioſo infiammatoriae, an bilioſo putridae ſint
naturae? vel a fola neruorum ſenſibilitate aucta
dependent?

§. 14.

Febres aliae quae intermittentes eſſe videntur.

Non omnes febres, quae intermittunt aut
intermittere videntur, ex verarum intermitten-
tium

inordi tium semper numero sunt, illarum faciem tan-
et, vir tummodo induunt, nec cortici peruviano, sum-
mo febrifugo cedunt. Multiplices sunt eiusmo-
quium di febres, earumque diagnosis ob peculiarem
curationem quam sibi poscunt, maxime neces-
t; pa saria est. Huc referendae sunt nonnullae cathar-
incipit rales, inter diu saepe plane intermittentes, ve-
vehe spertino vero tempore nouo paroxysmo insur-
uadit gentes; febres puerarum eandem intermis-
n est, sionem etiam saepe patiuntur; post febres con-
tinuas remanent interdum paroxysmi, versus ve-
lestus spertinum tempus incipientes.

Eiusmodi autem excandescientiae plerum-
que breve tempus durant, nec paroxysmorum
febrilium tempora percurrunt. Huius morbi
exemplum dat SENAC: erat foemina, quae per
annum integrum, stata quotidie hora intensio-
ri frigore corripiebatur, suberant interim con-
vulsui motus & membrorum hac & illac iacti-
tationes, leuis deinde exoriebatur calor & pul-
sus celerius incedebat, at nil prae se ferebant
haec omnia, quod vere febrile fuisset, saltem
intra horae vnius spatium omnia tam abnormis
morbi symptomata ita concidebant, ut nil su-
peresset, quod a naturali statu recederet. Quo-
tidianae febres huc etiam referuntur ab iis, qui

eas

parox
re de
exsurg
dem f
GALE
tentiu
contin
interm
non m
di. E
piunt r
rum si
diana
Iuxta H
autem
diffenti
continu
CRAT
hac fel
videntu
bris no
antiquit
hagen.
GALE
inquit
accessio
paroxyl

tas ex intermittentium numero excludunt; in
intermittentibus similes sunt, in eo autem diffe-
runt: sudor plane nullus sequitur, apyrexia
non vera est & cortice peruvianus non profligantur, sed magis adhuc augmentur; indicata
remedia sunt resoluentia, quoniam hae febres
praesertim a vitiis viscerum abdominalium, ob-
structionibus nempe oriuntur, quae usum cor-
ticis peruviani prohibent. An vero hae quo-
tidianae verae sint intermitentes nec ne? pra-
etiorum experto iudicio relinquimus.

§. 15.

De coniunctione febri interm. cum aliis morbis.

Latent febres intermitentes, si cum aliis
morbis sese coniungunt, qui typum earum
abscondunt aut perturbant. Iam a priori facile
intelligitur, quam occulta earum diagnosis sit
si febris intermitens cum continua coniuncta
occurrat, quae coniunctio experientissimum
etiam fugit, ut Galenus ait. Primo morbi
tempore continua esse videntur, nil de inter-
mittentium facie referunt, sequente vero tem-
pore post euacuantia praemissa intermittere in-
cipiunt, in tertianas vel quartanas desinentes.
CELSVS eiusmodi febres descripsit, quarum ac-
cessiones ira confunduntur, ut nulla interualia

Paroxysmorum animaduerti possint: intermitte-
re desinunt in continuas abeuntes; inde autem
exsurgit quaestio, ait S E N A C, num scilicet eae-
dem fint, aut quid ex proprio seruent ingenio.
G A L E N V S easdem etiam mutationes intermit-
tentium in continuas obseruauit, & quamquam
continuae esse viderentur, tamen semper adhuc
intermittentium natura elucebat; mutata forma
non mutatur omnino ingenium febris eiusmo-
di. Ex vario coniunctionis modo varia acci-
piunt nomina e. gr. subintratum, semitertiana-
rum sive hemitritae arnm ex tertiana & quoti-
diana continua compositarum. Hae febres
auxta Hippocratem horrifcae sunt, de illarum
autem exacerbatione scriptores valde inter se
dissentient. Galenus de ea prodidit, quod
continua sit, ita ut tertia quaque die cum hor-
tore exacerbetur. Si leguntur, quae H I P P O-
C R A T E S, G A L E N V S ac recentiones medici de
hac febre scripsierunt, omnes eam obseruasse
videntur, ita ut nulla hucusque certa huius fe-
bris nosologia adsit (vid. B A V M G A R T E N de
antiquitatibus febris hemitritaeae praefid. Ill. Gold-
hagen. Halae 1782.). Liceat mihi adicere, quod
G A L E N V S dixit: semitertianorum typorum,
inquit ille, hoc proprium est, quod reditus
accessionum saepissime cum perfrigeratione &

C

inci-

incipientibus rigoribus fiant; ad integritatem non veniunt, sed horrificas primo die faciunt repetitiones, altero simplicem tantummodo accessionem.

Periculosae sunt semiterianae, ut quae nos ventriculi solummodo & neruosa pars attingant, sed etiam cathaphoras, lethargicas vigiliasque cum delirio ac syncoposas dia phores inferant, linguam praeterea valide exsiccant, atque animi defctionem efficiant, vehementer, quae profundo sunt, commouentes in vniuersum ferus periculosisimusque hic rybus est.

§. 16.

Do febribus larvatis atque malignis.

Omni iure nomen malignitatis illae merentur febres, quae insolitis symptomatibus spectantur, quaeque secura omnia obtutu prima pollicitae, in grauissima symptomata, & repente & praeter spem erumpunt; vnde HIPPO CRATIS dictum: febres paruae saepe valde malignae sunt. Tam variam & alienatam faciem praefe ferunt, ut naturam suam plane amississe videantur. In praecedente §. quaedam iam de larvis, quibus intermittentes latenter di-

dicta fuerunt, permulta vero innumeraque ad-
huc de iis differere restat, quorum pauca tan-
tummodo adducam.

Febrilis materies vario & inexplicabili mo-
do quandoque in corpore humano latet. Saepe
accidit, ut sub partiali morbo febris intermit-
tens lateat; febile venenum tunc in vna tantum
parte residet, reliquis nullo modo affectis, do-
lores febrili cauſa insurgunt, qui in uno loco
partis plerumque externae saeuunt. Eiusmodi
symptoma febrilis indolis esse, ex eo perspici-
tur, quod periodice, more intermittentium,
& insurgat & desinat, eodemque etiam febri-
fugo peruviano curetur.

Periodici dolores interdum periculosisſimi
sunt, si partes nobiliores arripiantur e.g. caput
pulmones, ventriculus &c. non raro evenit,
quod mens impetratur, accedant anaesthesia,
syncope immo catalepsis, & in lethargum &
comatosum affectum aegri incident. Sub Tussi
conuulsiva quotidie insurgente, singultu & haem-
orrhagia statim tempore recurrentibus saepe
febris latet, eodemque modo soluitur. Oph-
thalmiae etiam periodicae obſeruatae sunt,
nec non odontaegiae, aurium, omniumque alia-
rum C. H. partium dolores. Saepe etiam locum

C 2 mutant

mutant, mox hanc mox illam partem afficientes, rheumatismos & arthritidem vagam aemulantes. Alia teterima symptomata sunt apoplexia, paralysis, scotomia, epilepsia & plures conuulsiones; eueniunt quandoque efflorescentiae cutis, vt tota corporis superficies efflorescat: harum febrium perplura exempla apud scriptores exstant. Febrilis materies in aluum etiam saeuit, vbi atrocissimi assurgunt dolores, qui reliquis symptomatibus, foecibus nempe mucosis & subcruentis dysenteriam aemulantur. **T O R T I**
Lib. III. cap. I. dicit de cardialgia, quae continet, quoties inuadente paroxysmo rigor & horror aegrum infestat, siue dum incalescere incipit, cum accerrimo morsi oris ventriculi, cum pauca vomititione, deffectu animi, pulsu exili & facie hippocratica. Periculosisimum vero symptomata, quod fraudulenter speciem benignitatis praese fert, est sudor post horrorem & frigus, qui magis increscit & paulatim frigescit, quo aeger liquatur, dissoluitur & deficit.

§. 17.

De lethifero harum febrium periculo.

Ratio & experientia docent, quam lethifera sunt haecce periculosa symptomata. Periculum vero eo magis adhuc augetur, quo minus

nus symptomata typum feruant; non raro per plures dies immo hebdomadas in lucem non veniunt, vna vice vero toto agmine erumpentes illico aegrotos ad inferos mittunt. **TORTI**
Therap. spec. Lib III. cap. I. ait: *hoc autem praecipps symptomata nonumquam tam inexplicatum superuerit, vt veluti totum simul, unoque ictu minime praemonstrato erumpat, & tunc non prius se prodit, ac hominem interimat.* Hoc autem rarum est, neque potest cadere sub dignitione aut curatione medica. Non omnes vero febres malignae simul etiam lethales sunt, cum sint, qui vel ex ipsa vera pestilentia emeruerint.

§. 18.

Quae ad diagnosis harum febrium pertinent.

Ob difficultem & fere impossibilem diagnosis haec febres protheiformes nominantur: quo difficilior autem diagnosis est, eo maiori opera omnia symptomata obseruanda sunt, vt tandem illa inueniamus, quae diagnosi inferuire queunt.

Plerumque accidit, quod truculenta illa symptomata in progressu morbi non autem cum primo paroxysmo se ostendant; non raro illa etiam ex praegressis paroxysmis suspicari queunt, plerumque enim a solito gassu recedunt paroxys-

mi

mi & iam a quibusdam insolitis symptomatibus stipantur. Sic *III. WERLHOFF* in febribus soporosis, malignarum frequentissimis, sub initio statim somnum naturali profundiorem non resistentem, & in apyrexia remanentem stuporem obseruauit, vrinam crassam varie coloratam, maxime foetentem & praesertim frequenti mutatione, dysuria aut stranguria prodeuntem, hypochondriorum & praecordiorum dolorem, sanguinem ejevita missum floridum, satis aquabilem, cum sero copiosissimo viridescente mox in putredinem abeuntem. *Cel. Medicus* iisdem signis, certissimis febrium apoplecticarum prae-nuntiis usus est. In primo progressu plerumque continuae sunt, tercio demum die & seriis aepyrexiae obseruantur; quo breuiores atque obscuriores haec sunt, eo maiores difficultates adstant, & illico cortex peruvianus adhiberi debet.

Febrium coniuulsuarum saepe difficilior est diagnosis *Medicus* in epidemia harum febrium nullum certum obseruauit signum affectus convulsi futuri, nisi pertinaciorem paroxysmorum tum quoad durationem quam vehementiam cortici resistentiam; paroxysmi vero breuiores, quamvis eadem saeuent grauitate, optimum exhibuerunt signum.

Ex

Ex epidemia etiam dignosci possunt hae febres, cum vero ut plurimum aliis epidemiis benignissimis immixtae sint, magna adhuc praemitur difficultate tempestiuā earum diagnosis.

Caussae huius febrium intermittentium recessus periculosimi a sueta ipsarum natura plerumque in correptione bilis per epidemicam vel individualē constitutionem, vel peruersam medendi methodum effecta latent.

Omni diligentia sequentem paroxysmum impidire debemus, ne forte proximus insultus necet. Quo citius vero magisque inopinato inuidit, eo periculosior est, & diagnosis difficilior, immo impossibilis.

Febrium laruatarum quae in hac vel illa parte dolore, inflammatione, aliisque symptomatis se se produnt, diagnosis ex symptomatis febrilibus coniunctis habetur, plerumque enim dolores cum horrore, frigore, subsequente calore & sudore partis affectae aegros vexant, quae de febrili natura testantur. Quod si vero haec symptomata non adsint, ad alia respiciendum est signa, pandiculationes apti dolores capitis loco frigoris incedunt, quae omnia facile corpori perauianio cedunt, — magnum certissime

argu-

argumentum, quod medicus saepe ex nocentibus & iuuantibus diagnosin facere possit; Vrinae sunt lateritiae, maxime tempore apyrexiae & si nonnulli iam praegnassi sint paroxysmi. Pulsus plerumque parvus & celer est, ita ut vix percipiatur, sunt vero etiam casus, quibus maiori vi incedit, praecipue si aut apoplexia aut lethargus aut comatosus affectus sequuntur, non minus se prodit febris ingenium, si post exacerbationem diffusat sudor, si paroxysmi periodice redeant & sibi respondeant. Quod si non a causa quadam occasionali periodice recurrente, e gr. a refrigerio omni mane admisso vel ciborum assumptione &c. dependent, statim ad methodum antifebrilem confugere debemus.

§. 19.

De febrium continuarum diagnosis.

Hucusque omnia symptomata diximus, quibus febrium intermittentium naturam, non earum solum, quae in una parte se exferunt, sed illarum etiam, quae faciunt sub larua continuarum, diagnoscere quimus. Attamen vero adhuc dubium super est, cum quandoque similia occurrant symptomata etiam in febribus continuis ac remittentibus. Praeprimis symptomata

mata remittentium & continuarum, nisi cum
omni diligentia obserues, earum diagnosis dif-
ficillima erit. Porro notandum venit, quod
omnes affectus, qui febres intermittentes refe-
runt, febrium continuarum praesentiam non
semper excludant, continuae enim quandoque
concomitantur illas, & faciem intermittentium
induunt, vt neminem in arte medica peritum
fugit.

Cognitio symptomatum continuarum febrium,
modusque inuasionis non solum ad diagnosin
continuarum nos dicit, sed adhuc ad perfectio-
rem atque certiorem diagnosin febrium inter-
mittentium ac remittentium.

In scholis tantummodo pathologorum de
eiusmodi febribus disputatur, quae vno tramite
sine villa remissione durant, ideoque continentes
audiunt; hae vero in praxi nullum locum ob-
tinuerunt; nunquam enim obseruatae sunt.
Continuae febres semper quidquam remittunt
& paulo post rursus excandescunt; tamen ab
remittentibus, vt reuera diuersae sunt, etiam
distingui queunt.

Si tempora, naturam & incessum prose-
quamur, statuere possumus, num quid ex iis,
quod

quod a remittentibus diuersum sit, obseruari possit. Plerosque morbos, qui non intermit-
tunt, versus noctes excandescere, omnibus no-
tum est, ea forte ex causa, quoniam quem-
cunque hominem sanum vespertino tempore
febricula quaedam naturalis corripit; in eo igi-
tur conueniunt inter se & remittentes & conti-
nuae febres. Id vero dissimile habent; remit-
tentes plerumque versus vesperam exacerban-
tur, tempore vero matutino regulariter remit-
tunt, in continuis vero exacerbationes non
stata hora redeunt, non per idem tempus du-
rant, neque interualla eadem sunt, & quo ma-
lignior morbus, eo frequentiores sunt hae al-
ternae mutationes, ita ut inter se confundan-
tur. Tempore exacerbationis pro gradu mor-
bi aegri in summa anxietate verantur, & omnia
symptomata maxime urgent, in defervescentia
etiam illo non destituuntur timore, symptomata
non plane euanescent, non est cutis humida,
nec excretorum aut secretorum facilis via, vri-
nae enim sunt eadem, nec laxantur alii col-
colatoria, abest praeterea frigus aut refrigeratio:
in intermittentibus contraria obseruantur. Si
vero hic exacerbationum ingressus non obser-
uari potest, alia symptomata insolentia non raro
sunt causa; continuae malignae sunt, inua-
dunt

dunt cum virium prostratione sine causa manifesta, symptomata ordinem temporum minime sequuntur, neque consentiunt signis externis quae ex facie, oculis, lingua, sensibus, calore, pulsu, respiratione, decubitu, somno, vrina desumuntur, vt, si mitis ad contactum calor, siccus ramen lingua sit; huc attinent lipyria, helodes, asodes, epiala, agrypnocoma in initio febris iam praesens. Bene tamen BAGLIVIUS monet, non vnum symptoma solum esse gravissimum, febrem malignam designare. Lassitudo quaedam lenta sine causa manifesta antecedere solet, eaque plerumque horrida, quae tandem aliquando subito in febrem ipsam erumpit, nam & hic docet experientia, BAGLIVIUS inquit, non esse omnino negligenda praecepta veterum de lassitudine, quam intersigna referebant summis quibusdam generibus morborum praesagiendis.

§. 20.

De febrium exanthematicarum diagnosi.

Omni febrium continuarum generi, & inflammatiorum, & putridarum, & biliosarum, & neruosarum exanthemata accedere queunt, quorum natura plerumque ex febre concomitante diiudicari debet. Male igitur plerique

auto-

auctores febrium exanthematicarum propriam
 constituerunt classem, cum vnum idemque
 exanthema pro diuersitate febris malignissimum
 & benignissimum esse queat, & methodus etiam
 medendi in plerisque eadem, vel in vna spe-
 cie, si febris differat, diuersissima esse queat.
 Exanthematum species ita diuersae sunt, vt huc-
 usque interdum adhuc quaedam appareant. Etiam
 quae experientissimi inter medicos neque vide-
 runt antea neque descripta legerunt. (*Thiery*
Erfahrungen in der Medicin) quandoque ino-
 pinato exanthemata apparent, neque statu tem-
 pore erumpunt. Nonnumquam materines ex-
 thematica per sudorem vel alias euacuatio-
 nes serosas, & sanguineas expellitur, & ex-
 anthemata plane non erumpunt. Quandoque
 etiam plures symptomatum species simul adsunt,
 & unde diagnosis difficultima: experientissimi
 medici interdum curam eorum frustra tentant,
 & postremo multa coniectura tandem remedium
 inueniunt, quo illa fugantur. Exempla non de-
 sunt. *THIERY* l. c. Pag. anno 1736 contagio-
 fus sequitur morbus, medici omnes obseruationes
 in memoriam reuocarunt, omnes vero meden-
 di methodus respuit hic morbus. Expertus qui-
 dam medicus, qui suam etiam operam antea
 frustra perdidit, omni diligentia obseruauit
 quoniam

quondam pustulas curis, illisque similes esse inuenit, quae a vesicatoriis etolluntur; inde credebat, acre fermentum in humoribus eiusdem indolis esse ac illud, quod ab vesicatoriis in vesicis producitur, propinabat igitur aegris suis acetum diaphoreticum, omnesque sanauit.

Exanthemata vel crisin febrium imperfarent, etiam constituunt, dum materies nociva per vires naturae ad peripheriam pulsa, sub cute retinetur, ibique per irritationem varia exanthemata producit; vel est sequela resolutionis humorum & peruersae curationis. In utroque casu praeprimis vires vitales attendenda & quomagis enim hae languent, eo facilior exanthematum regressus, eo maior resolutionis humorum suspicio. Eruptionem exanthematum variæ saepe praecedunt symptomata, ut conuulsiones, deliria, anxietates &c. quae si post eruptio- nem cessant, haud periculosa iudicantur.

Notissimae exanthematum species sunt variolæ, morbilli, scarlatina, petechiae ac miliaris &c. illæ saepius occurruunt ac certius curantur. Nulla autem adsunt symptomata quae mihi certe praedicunt stadio ebullitionis, quod genus symptomatum erit. Variolis vti etiam morbillis & scarlatinæ symptomata febrilia praecedunt

cedunt, quae inter se non semper distinguuntur, stadium ebullitionis habent, quod in omnibus sibi aequaliter, diagnosis hoc studio impossibilis quidem, & ob eundem fere, quem exigunt sanandi modum, etiam haud anxie consideranda, quare tranquille eruptionem expectare possumus. Fit etiam, ut variolae & morbilli simul, vel variolae cum scarlatina vel morbilli cum ea simul erumpant, interspersis petechiis, vel etiam miliaribus: tunc augetur periculum, & difficultas diagnoseos ob tam manifestabilem pustularum faciem. Quaedam exanthemata non nisi ex praecognita epidemia praedecere valent, cuius naturae sunt febris petechialis, miliaris composita, febris aphthosa MACB
BRIDE p. 611.

Febris petechialis plerumque putridae naturae est, quandoque tamen in inflammatorii febribus etiam occurrit, SELL med clin petechiae plerumque symptomaticae, raro criticæ sunt, non statim tempore erumpunt, nisi materiam expellant morbi, ut interdum in febribus neruosis fieri solet; tunc diebus criticis vt plurimum apparent. Exanthemata miliaria plerumque etiam symptomatica sunt, raro tantummodo critica habentur. Illi, qui sanguinem tenuem

istinctum & acrem habent, haec symptomata praemissa timeant. Purgatoria omissa & medicamenta alexipharmacorum saepe eiusmodi exanthemata producunt. Signa instantis miliaris sunt sudor acidus, tussicula sicca, anxietas circa praecordia, dolor capitis, pruritus in cute molestissimus, horrores cum aestu alternantes.

Ex his omnibus antedictis de difficultate diagnosaeos in primo stadio satis perspicere potest, quam utile sit illud praceptum HIPPONI.

CRATIS: τῶν γενημάτων, οὐ μη επισκοπέεις, φαρ-

μανού οὔσας μη εγχυρόν.



G M

T

GR

D.

С Р

2

Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle
002 169 606

3



sb

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

DE
DIAGNOSI
FEBRIVM IN PRIMO STADIO

1784³²
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E
D. IOH. FR. GOTTL. GOLDHAGEN

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE
NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
FACVLTAT. MED. ET PHILOSOPHICAE

H. T. DECANO
CIRCVLI SALICI, COMITATVS MANSFELDENSI S

E T
CIVITATIS HALLENSIS PHYSICO

P R O
OBTINENDO GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. IANVAR. MDCCCLXXXIV

H. L. Q. S.

PVCLICE DISPVTABIT

DANIEL. FRIDERICVS HERING
STOLPA - POMERANVS.

HALAE,
LITTERIS IOH. CHRIST. HENDELIANIS.